


Dissertatio Theologica De Natvrae Et Gratiae Nexv

Halae Magdeburgicae: Ex Officina Hilligeriana, 1756

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86218603X>

Druck Freier  Zugang





384 a. B.

48. 6. 8.

17

Fa-1092 (11.)

2.

24.

3.

23.

4.

5.

6.

20.

8.

9.


10.

16.


15.

12.


1.



24. 23.
24.
3.
23.
4.
2
5.
2
6.
20
7.
8 /
9 /
10 /
11. 16.
15.
12.
...
1



24.
24.
3.
23
4.
2
5.
2
6
20
7
8
9
10
11
16.
15
12.
...



DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
NATVRAE ET GRATIAE
NEXV

QVAM
P R A E S I D E

*VIRO SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,
DOCTISSIMO*

SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN.
SEMINARII THEOL. DIRECTORE, MENSARVM REGIARVM EPHORO
ET ACAD. SCIENT. REG. BEROLIN. MEMBRO,

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO
AD CINERES VSQVE OMNI PIETATIS CVLTV
PROSEQVENDO,

D. SEPTEMBR. A. R. S. clo Io ccli.

PVBELICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI SVBMISIT
A V C T O R

IOANNES FRIDERICVS PAGE,

LANDSBERGA - NEOMARCHICVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
EX OFFICINA HILLIGERIANA. 1756.

DISERTATIO HISTORICA

NATURAE ET GRATAE
MEXV

DE

P. R. A. S. I. D. E.

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

DOCTRINAE

SIGISMI HACOBO HAYNGARTEN

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

DOCTRINAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

P. R. A. S. I. D. E.

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

DOCTRINAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE

PHILOSOPHIAE LIBERALIS ET MATHESICAE



CAPVT I.

EXPLICATIO VOCVM

§. I.



Si homo accuratius consideratur *Christianus*, in illo duo obseruare licet: primo occurrunt facultates animae et mutationes, quae in illis naturaliter rationem habent, ac quae in reliquis quoque offenduntur hominibus; deinde vero etiam quaedam animaduerti possunt, quae non omnibus hominibus sunt communia. Huius rei curatior explicatio neququam potest esse inutilis vel superflua; qua in re S. Scriptura viam monstrare debet et potest quoque certissimam. Veritates tamen naturales non omnino erunt reiiciendae, sed adhibendae potius, vbi opus fuerit.

§. II.

Gratia est complexus mutationum *Christiani* et habituum in illis rationem habentium et ex vnione cum *Christo* oriundorum (1). Omnis igitur mutatio, si ad gratiam pertineat, ex motiuis a *Christo* et vnione cum ipso desumptis fiat, necesse est. Et quia ex iteratis actionibus similibus oriuntur habitus (2), *Christianus* quoque nanciscitur habitus, qui etiam ad

A

gra-

2
 gratiam pertinent: nam rationem habent in mutationibus, quae ad gratiam referuntur.

(1) Si quis *Christum* ut rationem salutis suae amplectitur et motiua regulasque actionum suarum ex ipso deriuat, ille cum *Christo* vnitus dicitur. Si igitur mutationes *Christiani* rationem habere debent in vnione cum *Christo*, requiritur primo, ut subiectum agens *Christum* consideret vere ut fontem felicitatis suae et ideo secundo ex ipso et officio eius mediatorio deriuat motiua ad actiones.

(2) *Habitus* in genere est maior possibilitas agendi; sed hic potest definiiri per promptitudinem motiua ad actiones deriuandi ex vnione cum *Christo*.

§. III.

Significatus vox *Gratiae* tam diuersos habet, ut omni opus sit circumspectione et diligentia ad euitandam confusionem. Ne tamen videatur, hic huic voci attribui significatus, quem illa non habet in S. litteris; is etiam probari debet ex S. bibliis: 1 *Petr.* 2, 19. scribit Petrus: *Hoc enim est gratia, si quis propter conscientiam Dei perfert tristitia, patiens iniuste.* Facile ex hoc dicto apparet, Apostolum hanc vocem eodem sumsisse significatu ac hic sumitur. Huc quoque referri possunt ac debent loca sequentia: *Rom.* 12, 3. 6. 1 *Cor.* 3, 10. c. 15, 10. quae idem probant. Neque vsui loquendi contrarius est hic significatus: nam si quis magnis a rege donatus muneribus, pauperibus bene faceret, hic dicere posset, est gratia regis, quia hae actiones ortum trahunt ex gratia regis. Sic igitur hic actiones dicuntur gratia, quia rationem habent in amore seu gratia Dei.

In ipsa S. Scriptura vox *gratiae* varios habet significatus: primum significat immeritum Dei amorem et fauorem procurantem salutem et felicitatem hominum, ut et media ad illam assequendam. Hunc significatum verbum gratiae obtinet: *Eph.* 2, 6. 7. 8. et *Rom.* 11, 6: atque ex hac gratia diuina omnia fluunt bene.

beneficia homini exhibita; deinde indicat ipsam exhibitionem salutis, praecipue aeternae per *Christum Tit. 2, 11.* quae est effectus gratiae diuinae in primo significato sumtae, et omnes operationes ad hanc pertinent, quae faciunt ad praestandam homini salutem. Ac denique vocabulo gratiae etiam hic tribuitur significatus, vt indiget complexum operationum et mutationum in homine, quae per cognitionem et acceptationem gratiae praecedenti significato sumtae in ipso sunt. Vbi duo considerata sunt, primo, mutationes ipsius hominis, quae appellantur gratia inhaesiuua, sanctificans, corrigens et medicans, quae iterum potest dispesci in praecurrentem, praeparantem, conuertentem et gratiam cooperantem; Secundo mutationes iudicii diuini de homine atque eius ad ipsum relatione, quae nominatur gratia iustificans et forensis, *Gal. 2, 21* hunc gratiae significatum inuenimus. Omnes vero hi significatus hic non in censum veniunt, licet in *S.* litteris inueniantur; multo vero minus Pontificiorum explicatio gratiae, qui per gratiam virtutem et qualitatem infusam nobis inhaerentem intelligunt, cf. *Bellarmin. Lib. de grat. et lib. arbitr. c. 3.* quam iterum varie sed false distinguunt in habitualem et actuaalem et quae sunt reliquae eorum distinctiones.

§. IV.

Vox altera, quam explicare debemus est verbum *naturae*, quod iterum varii est significatus; sed nihil hic aliud indicare potest, quam complexum reliquarum mutationum *Christiani* et habituum, qui non pertinent ad gratiam. Si igitur omnes illae actiones, quae rationem habent in vnione cum *Christo* referendae sunt ad gratiam §. 2: actiones, quae non habent rationem in vnione cum *Christo*, naturae annumerandae sunt. Quo itaque pertinent partim mutationes, quarum ratio est corruptio naturalis et quae cum lege diuina neutiquam conueniunt (1); partim quoque mutationes, quae ex motiuis, quae ex veritatibus naturalibus deriuantur, fi-

A 2

unt

unt (2). Hae igitur possunt esse normae legis revelatae conformes, sed quia non oriuntur ex vnione cum *Christo*, naturales sunt.

- (1) Non malum naturale in *Christiano* aboletur totaliter, sed manet semper aliquid residuum. Quod ipsa docet S. Scriptura, 1 *Iob.* 1, 8. Nam peccatum originale, quod in S. litteris vocatur caro, ipsis inhaeret, ex quo peccata actualia ortum trahunt; prius probare et euincere possunt dicta *Rom.* 8, 1. 13. *Gal.* 5, 16-18. 24; posterius vero patet ex *Iac.* 3, 2. *Pf.* 19, 13. Licet non dominetur in illos peccatum neque peccato obediunt in cupiditatibus ipsis, vt loquitur *PAVLVS Rom.* 6, 12.
- (2) Veritates naturales sunt, quas facultatibus naturae nostrae perspicere possumus. Nam licet natura nostra valde sit corrupta, tamen adhuc vires habet multa de Deo cognoscendi, vt et plurima officia praestandi. Mutationes igitur, quae impulsu motiuorum ex hac cognitione desumptorum fiunt, sunt naturales. Fons huius cognitionis est accuratior nostri contemplatio et entium extra nos et nexus eorum vniuersalis.

§. V.

Quamuis natura alios significatus in S. litteris etiam habeat; tamen hunc quoque significatum habet. *Rom.* 2, 14. dicit Apostolus, gentiles natura ea, quae legis sunt, faciunt. Si itaque Ethnici legem sequuntur et peragunt ea, quae legis sunt; atque asseritur minime illud facere gratia: omnino hae mutationes sunt naturales. Hic igitur est sensus huius dicti: mutationes ethnicorum quaedam legi quidem conformes sunt, sed non oriuntur ex gratia. Quod non pertinet ad gratiam, ad naturam referri debet; ergo gentiles ea, quae legis sunt perpetrant natura. Apostolus *IACOBVS* etiam huic vocabulo hanc tribuit notionem cap. 2, 7. Omnis natura, inquit, bestiarum, volatilium, reptilium atque aquatilium domantur et domita sunt a natura humana. Hic natura

tura

tura nihil nisi actiones et mutationes naturales indicare potest; nam per illas tantum bestiae domantur.

Natura primario significat complexum earum determinationum internarum, quae mutationum eius sunt principia, et hic conceptus est Metaphysicus. Deinde vero diuersimode explicatur respectu subiecti, cuius definitur natura. Natura hominis igitur est complexus determinationum internarum earum, quae mutationum hominis sunt principia. Facultates et vires igitur, quae huc spectant, sunt: 1. Vis repraesentatiua vniuersi pro positu corporis, et 2, reliquae in hac fundatae facultates et superiores tam intellectus quam voluntatis, quo etiam referri potest libertas, et inferiores.

§. VI.

Tertia et vltima vox, quae hic considerari debet, est vox *nexus*. Si ad vsum loquendi attendimus, facile animaduertimus, primo semper requiri ad nexum res diuersas: secundo quandam inter illas esse relationem et respectum: tertio itaque non totaliter esse dissimiles, sed potius quarto easdem posse vniri. Ex his nunc facile colligi potest, quid sit nexus et vbi locum habeat, scilicet, si duae res in vnum diriguntur (1) finem (2), inter illas est nexus.

(1) Possunt etiam duae res ab ipso existentiae momento vnum habere finem et ita inter illas est nexus perpetuus; hoc modo plurima mundi optimi entia sunt in nexu cum aliis entibus, quin imo fuit hic nexus plane vniuersalis, sed peccato hominis natura corrupta est, ita vt homo per eandem non possit obtinere finem legitimum. Si igitur optimi Dei fauor hominem saluari cupit, necesse est, vt natura hominis, rursus emendetur et corrigatur, id est, in legitimum dirigatur finem.

(2) Finis est bonum, ad quod actuandum aliquis vtitur aliquo. Hoc bonum est vel vere tale vel tantum apparenter tale. Illud vero, quo quis vtitur ad obtinendum finem est medium, quod vel sufficit ad obtinendum finem et est medium sufficiens,



vel non sufficit et est remedium insufficientis. Nullus igitur non, qui finem sibi proponit aliquem, eum sibi repraesentare debet ut bonum, quae repraesentatio finis dicitur intentio. Deus semper habet fines vere bonos, nam ille vere cognoscit et scit, quid sit bonum et quid malum, sed homo saepe numero hac in re errare potest, quia est ens finitum et habet facultates finitas et circumscriptas; ad hoc accedit, ut natura eius sit corrupta facultatesque in illis fundatae sint deprauatae, ut viribus naturalibus legitimum sui ipsius finem non possit obtinere. Ex his quoque patet, finem huius nexus, qui est inter gratiam et naturam esse verum bonum; nam Deus est causa efficiens eiusdem, quod infra demonstrabimus.

§. VII.

Patet quidem iam ex §pho praecedente, quid requiratur ad nexum, sed subsequenti tractationi valde inferuiet, si studeamus, notas characteristicas huius conceptus sollicite explicare. Cum igitur nexus locum habeat, si duae res in vnum diriguntur finem §. 6. sequitur, illas res non debere esse contradictorie sibi oppositas (1). Nam si res connectendae essent contradictorie oppositae, nequaquam possent habere eundem finem neque dirigi in illum, quia vna eundem reiiceret finem, in quem altera est directa, aut facili negotio dirigi potest, et quaedam mutatio illius rei essentialis fieri deberet (2). Contradicit quoque vsui loquendi §. 6. Possunt tamen aliquatenus illae res sibi esse contrariae, sed hanc contrarietatem tolli posse, necesse est, per ipsum actum connexionis.

(1) Contradictorie opposita sunt, quorum vnum tollit id, quod alterum ponit. Si igitur res sibi sunt contradictorie oppositae, vel omne in vna oppositum est alteri, vel quaedam tantum; in casu priori sunt totaliter contradictorie opposita; in posteriori partialiter contradictorie opposita. Sed quia omnia entia habent quaedam communia, non dantur totaliter contradicto.

dictorie opposita. Cum itaque res connectendae dicuntur contradictorie oppositae, non possunt alio respectu esse, quam respectu finis cuiusdam; nam alias non potest perspici, illas esse contradictorie oppositas.

- (2) Si enim duo entia sunt contradictorie sibi opposita, alterum eorum etiam debet oppositum esse illi, quod conuenit alteri; finis vero quidam alteri, conuenit; ergo huic fini contradictorie oppositum etiam est alterum. Entia contradictorie opposita sunt vel respectu determinationum externarum opposita; sed haec non proprie dici possunt contradictorie opposita sensu strictissimo; quia non semper essent propter mutabilitatem determinationum externarum, sed tantum dicuntur contraria: vel respectu determinationum internarum et haec sunt contradictorie opposita sensu strictissimo sumta. Hoc declarat, cur in Spho dictum sit, mutationem debere fieri essentialem.

§. VIII.

Demonstrata igitur contradictionis absentia, sequitur porro, res connectendas esse ex parte similes seu quaedam debent communia habere, tam ante ipsum nexum, quam multo magis postea. Hoc nulla indiget probatione; iam enim fuit ex antecedentibus. Aliud potius consuetarium, quod non sic statim elucet, ex definitione nexus eruamus. Res connectenda vna eundem habere debet finem, quem altera, §. 6. ita igitur oportet mutetur, vt eundem obtinere possit finem, et hae mutationes rationem habeant in altera, necesse est (1). Cognosci enim potest ex altera re, quam ob rem hae mutationes fiant (2).

- (1) Multiplici ratione vnum potest habere rationem in altero, vnde oriuntur diuersae nexuum denominationes. Causatum rationem habet in causa et nexus dicitur causalis. Exemplaris dicitur nexus, qui est inter exemplar et exemplatum. Signatum quoque rationem continet signi, quapropter ille
- nexus

nexus dicitur significatiuus. Et huius generis multi etiam hic recenseri possent; sed longiori illorum recensione super sedere possumus, quia in Metaphysicis ex instituto explicantur. Vnius tamen adhuc nobis liceat inferre mentionem, puta nexus exigitiui. Omnia media enim vt effectus et rationata possunt considerari finis; ergo etiam inter finem et media datur nexus, qui appellatur moralis seu exigitiuus: ad quem etiam pertinet nexus mediorum, qui in vnum directa sunt finem et ideo inter se connexa sunt, qui nexus hic praecipue in censum venit.

(2) Nullus vero alius nexus hic sic locum habet, vt nexus exigitiuus sensu posteriori sumtus, nempe gratiam et naturam connexas esse vt media, quae directa sunt in vnum finem. Id quod infra vberius ostendemus.

CAPVT II.

TRACTATIO IPSA.

§. IX.

Explicatis, quae huc spectant, vocibus, nunc rem ipsam aggrediamur et nexum inter naturam et gratiam esse probemus. Quod vt demonstremus, probandum nobis erit, mutationes, quae oriuntur ex vnione cum Christo, et reliquas hominis mutationes esse directas in vnum eundemque finem, et vt plenior fiat demonstratio, tria postea adhuc erunt probanda. Nam vidimus res connectendas non esse posse contradictorias §. 7. quod primum erit demonstrandum, nempe gratiam et naturam minime sibi esse eo, quo sumsumus, significato contradictorie oppositas. Secundum, quod euincere debemus, est, esse illas res vnius generis seu gratiam et naturam ad vnum pertinere genus §. 8. vbi assentitur, illas saltim ex parte debere esse similes. Quibus stabi-

stabilitis, facile *tertiam* erit euictu, scilicet dispositionem vnus rei rationem habere in altera debere, seu gratiae dispositionem fundatam esse in natura. §. 8. Vt vero ordine incedamus, opus erit adhuc ampliori et prolixiori gratiae et naturae explicatione, quo intelligatur, quae mutationes ac qui habitus pertineant ad gratiam et quae mutationes atque habitus ad naturam debeant referri.

§. X.

Natura comprehendit omnes mutationes et habitus, qui non pertinent ad gratiam, §. 4. seu qui non rationem habent in vnione cum *Christo*. Referri igitur huc debent, *primo*, cunctae hominis mutationes, quae legi diuinae sunt contrariae: nam hae mutationes rationem habent in ipsius naturali corruptione (1); ergo non in vnione cum *Christo*; hinc non pertinere possunt ad gratiam. *Secundo* natura comprehenditur mutationes, quae legi quidem conformiter fiunt, sed non ex vnione cum *Christo* deriuantur, seu quae fiunt ex motiuis desumptis ex veritatibus naturalibus. Hae mutationes per se quidem non sunt malae (2); sed tamen, quia omne, quod Deo placeat, fieri debet ex fide, seu, quod vnum idemque est, ex motiuis deriuatis ex coniunctione cum *Christo*, non vere sunt bonae, ita vt Deo placeant. *Rom.* I 4, 23. *Ebr.* I I, 6.

(1) Haec etiam post acceptam gratiam remanens corruptio dicitur peccatum originale, quod est fons et scaturigo multarum prauarum actionum; quo cum fide instructi per totam hanc vitam dimicare debent, ne dominium impetret, sed quoad fieri potest, opprimatur per gratiam. Nam hunc in finem vtantur gratia credentes, necesse est. *1 Petr.* 2, 19. Nam omnino abhorremus a sensu omnis mali, et caro nostra nos impellit, ad euitanda ea; sed gratia est, quae facit, vt calamitates perferendas subeamus hilari animo et carnem rebellantem subigamus et rursus seruituti reddamus.

B

(2) Vir-

(2) Virtutes Philosophicae his annumerari debent, quae sunt habitus legitime utendi viribus naturalibus, seu habitus observationis legum ex viribus naturalibus. Potest igitur aliquis legem observare reuelatam ac quidem instinctu motiuorum reuelatorum; tamen haec mutatio non pertinet ad gratiam, si viribus naturalibus cognitio et applicatio illorum peragitur motiuorum, proptereaque non est vere bona; sed tantum virtus apparens; nam omnes actiones nostrae sunt fundatae in natura nostra, quae corrupta et deprauata est; ergo omnes actiones naturales malae sunt.

§. XI.

Si igitur diiudicare volumus, vtrum actio quaedam pertineat ad gratiam, an ad naturam; actio ipsa nos nequaquam docet illud, sed exploremus necesse est: 1) quaenam ad illam fuerint motiua, vtrum fuerint tantum naturalia deriuata ex interna aequitate alicuius actionis et vtilitate eiusdem, an reuelata: 2) quaenam fuerit cognitio motiuorum, dum viuua ab ipso Dei Spiritu producta cognitio motiuorum diuinorum necessaria est, si actio ad gratiam referri debet: talis si cognitio non adest, actio pertinet ad naturam. Patefcit igitur ex iamiam dictis, vnam eandemque actionem posse pertinere ad gratiam et naturam. Vna enim actio patiari potest ex motiuis tam naturalibus quam reuelatis, et cognitio illorum etiam esse potest vel naturalis tantum vel spiritualis et vere viuua. e. g. Utitur aliquis sacramentis ex hoc motiuo, ne putetur plane impius; actio modo est naturalis; sed eandem actionem etiam pertinere posse ad gratiam, nemo inficias ibit. Verum non semper eodem tempore, sed diuersis temporibus vel ad gratiam vel ad naturam pertinere potest vna eademque actio, licet sit in eadem persona. Fatendum tamen quoque est, dari actiones, quae eodem tempore tam ad gratiam quam ad naturam pertineant, atque ideo esse mix-

tas

tas tam respectu legum, nam vna actione et naturalem et reuelatam aliquis implere potest legem; quam respectu motiuorum, ex quibus actio fluit et quae desumpta sunt vel ex actione ipsa eiusque bonitate intrinseca, vel ex mandato diuino, quod tamen tantum naturaliter cognoscitur.

§. XII.

Nos creatos esse ad salutem, multis rationibus potest euinci, vt et vires naturales eum in finem primis datas esse hominibus in statu integritatis. Lapsu vero natura humana ita corrupta est, vt ad finem istum assequendum non amplius sit idonea. Id quod duobus modis demonstrare possumus; primo a priore: nam licet lumen rationis neutiquam vi polleat, rationem et modum corruptionis naturae nostrae perspicendi; tamen esse eandem deprauatam, docet experientia. Videt enim, hominem appetere magis bona apparentia quam vera, et hoc fieri, si facultates animae inferiores dominantur in superiores. Videt, hominem ne leges naturae rite obseruare, haec iubet, amare Deum; sed inclinatio ad bona apparentia fortior est, quam inclinatio erga Deum. Et quia mutationes hominis omnes vna in altera fundata est, ex illa nostri status ratione continua oritur legis diuinae transgressio. Cognoscimus lumine naturae nos leges debere implere naturales (1); sed experientia erudimur, nos nec scire omnes naturae leges, nec cognoscere posse. Vnde sequitur, nos etiam iis non posse facere satis. Nam ad omnem actionem liberam tria requiruntur, primo, cognitio modi actionis patrandae, secundo, possibilitas patrandae illius, et tertio voluntas seu appetitio rationalis. Omnia haec tria momenta manca et incompleta in nobis esse, facile quisque largietur. Vnde concludere possumus, leges naturae sunt media ad felicitatem nostram (2); sed has non possumus im-

plere viribus nostris naturalibus, ergo nec possumus felicitatem nobis nostram procurare viribus nostris naturalibus. *Secundo* vero a posteriori idem et quidem clarius probare possumus: Apostolus PAVLVS dicit *2 Cor. 3, 5.* non sumus ex nobis idonei ad cogitandum bonum, et *1 Cor. 2, 14.* animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi nec potest intelligere. Quin imo ipse Deus *Genes. 8, 21.* ait, figmentum cordis hominis malum est a pueritia sua. Ex quo dicto apparet, totalem esse hanc corruptionem, omnes appetitiones et auersationes hominis esse malas, vt et ipse earum ortus. Depravatio naturae nostrae patet etiam ex locis, quae affirmant, conuersionem nostram solius Dei esse opus, qui per suam misericordiam et gratiam operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate sua *Phil. 2, 13.*

(1) Assumitur haec propositio hic vt Lemma, nam in iure naturae demonstratur. Indiget quoque haec propositio fere non probatione: qui enim scit, Deum esse sapientissimum, ille cognoscit etiam, Deum creasse nos ad aliquem finem, quem vt obtineamus, necesse est. Sed non eum obtinere possemus, nisi vires haberemus sufficientes. Regula et norma igitur, secundum quam vires has adhibere obligati sumus, si finem assequi illum studemus, est lex naturae. Hae regulae deriuandae sunt ex essentia nostra et vi, quas vel spectamus extra nexum cum aliis, et leges, quae inde fluunt, sunt leges naturales/necessariae; vel spectamus in nexu seu in statibus quibusdam, et leges, quae inde eruuntur, dicuntur hypotheticae. Deum esse, cognoscimus ratione; huic morem geri debere, etiam nobis innotescit ex lumine rationis. Nunc scimus Deum esse naturae auctorem, ergo vox naturae est etiam vox Dei.

(2) Si Deus nos creauit ad felicitatem, felicitas finis est nostrae creationis, ad quem obtinendum vires nostras debemus adhibere:

bere: leges naturae nos docent, quo modo vires debeant vsurpari; ergo leges naturae sunt media ad felicitatem nostram.

§. XIII.

Quamuis igitur sit certissimum, vires nostras naturales non sufficere ad salutem (1); fuerunt tamen, qui hoc negarunt et eas sufficientes adhuc esse ad salutem euincere studuerunt. PELAGIVS primus fuit, qui hunc introduxit errorem, quem multi sunt secuti. Hic affirmabat, homines propriis viribus sine operatione gratiae Spiritus S. ad Deum se conuertere posse. Quem errorem vt stabiliret, quasdam etiam alias assumebat sententias subsidiarias: Concupiscentiam originalem non esse peccaminosam: peccatum non naturali propagatione venire in homines; sed imitatione tantum et exemplo deriuari in posteros; et plura huius generis. Sed cum tam ex ratione quam potissimum ex S. litteris probauimus, vires hominis naturales non idoneas esse et sufficientes ad acquirendam salutem; eo ipso haec sententia refutata est atque ideo non opus habemus singulari rationum eius et demonstrationum excussione. Multi quoque hunc errorem refellere, operam nauarunt, quod iam fecit AVGVSTINVS. Pontificii quoque dimicant, vires naturales sufficere adhuc, vt homo per illas se disponat ac praeparet ad obtinendam iustificationis gratiam. conf. Concil. *Trid.* Can. 4. 5. Sess. 6. (2).

(1) Sumsumus quidem in duobus §phis praecedentibus naturam sensu alio ac eam definiuimus §. 4, sed hoc necesse erat ad demonstrationem propositionis probandae. Nam §. 12. probauimus vires nostras corruptas esse et ex hoc facile demonstratu erit, naturam eo, quo explicata est significatu §. 4. sumtam, esse deprauatam et ad salutem medium insufficientem. Omnes enim nostrae mutationes debent rationem habere in viribus nostris; (quod apparet, si consideramus, omnem muta-

tionem esse accidens, quod non potest existere nisi in substantia, si vero aliquid in nobis existere debet, viribus nostris conforme fit, necesse est), natura est complexus omnium mutationum et habituum nostrorum; ergo etiam rationem debet habere in viribus nostris. Demonstrata igitur virium nostrarum corruptione, demonstrauius eo ipso, naturam nostram corruptam esse; atque eam non sufficere ad salutem, iam euictum est §. 12.

(2) Verba canonis 5 ipsa haec sunt: vt ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiae liberae assentiendo et cooperando disponantur. Et postea: neque homo ipse nihil omnino agit. Titulus quoque ipse Can. 5. declarat idem, scilicet, de praeparationis necessitate ad iustificationem in adultis. Quos vero de operibus Christianorum habent errores, nimis longum foret, hic recensere. SOCINIANI hac in re Pontificiis assentiuntur, docentes, hominem adhuc, si non plane sufficientes, tamen ex parte sufficientes vires habere ad conuersionem et egere tantum Dei auxilio et adiumento ad facilitandam eandem. Sed quam diu verum est, vires nostras corruptas esse, et quam diu S. Scriptura affirmat, eas nequam sufficere ad salutem; tam diu etiam actiones nostrae Deo placere nequeunt, tam diu quoque sententia nostra vera est; etiamsi aduersarii studeant, quomocumque voluerint, stabilire sententias suas erroneas.

§. XIV.

Natura vero nostra licet sit in se spectata valde corrupta; tamen potest emendari et corrigi. Nam quia corruptio illa praecipue consistit in dominio facultatum inferiorum et inclinatione ad bona apparentia, vt et in inimicitia erga Deum; totus hominis mutandus est animus (1), ita vt ratio iterum accipiat imperium et homo distinctius perspiciat bona, vnde necessario fluit amor erga Deum. Lumen rationis omnino hic tacet; sed S. Scriptura nos erudit, quoniam modo

modo natura mutetur nostra et cunctos adhorratur homines, ut hanc mutationem sedulo quaesitent. Act. 26, 18. Quia igitur Deus in verbo suo nos inuitat, ut hanc subeamus mutationem, vere possumus concludere, possibilem esse naturae nostrae emendationem (2).

(1) Haec mutatio igitur non confundenda est cum mutationibus externis, si scilicet homo status mutat naturales. Nec huc pertinent praecurrentes animi commotiones. Plurimi hac in re errant, qui si modo honestati studeant, iam Dei inuitationi satisfactum esse putant.

(2) Certum etiam hic Deus statuit ordinem, quo possumus huius mutationis participes fieri. Et hic ordo non arbitrarius est; sed ex indole nostrae salutis et fruitionis Dei oritur. Quisque facile potest obseruare, hominem ipsum ad hanc mutationem esse ineptum; sed Deus ipsi debet dare vires necessarias atque mutationes gratiae procurare. Quod tamen omne fieri debet ita, ut libertati hominis nihil derogetur atque ita ut natura hominis permittit. Est ideo quidem haec conuersio supra naturam; sed minime contra naturam. Possibilitas huius mutationis potest etiam verisimiliter deriuari ex summa bonitate et sapientia Dei. Nam cur ipse creasset homines ad aeternam miseriam, hoc Deo esset indignum et quare nesciisset media ad reparandam ipsorum salutem ac quo modo finem creationis hominum obtinisset?

§. XV.

Iam ex §. 11. patet, quaenam mutationes et habitus ad gratiam pertineant; quaedam igitur tantum hic de gratia adhuc proferemus, quae huc spectant. Si nulla igitur actio et mutatio ad gratiam referri potest, nisi quae peragitur ex motiuis desumptis ex vnione cum CHRISTO; sequitur omnes illas mutationes directas esse in vnum finem; nam qualis causa, talis effectus; atqui semper eadem hic est causa, ergo et semper idem effectus. Agens igitur ex conscientia erronea,

nea, putat quidem se actionem patrassse, quae ad gratiam pertineat, sed neutiquam illa actio ad gratiam pertinet. Potest igitur *Christianus* tam ex conscientia praecedente quam consequente errante actiones naturales patrare, licet ipse iudicet, pertinere ad gratiam. Ac vice versa potest aliquis censere, actionem suam pertinere ad naturam, quamvis referenda sit ad gratiam (1). De habitibus gratiae adhuc observandum, eos posse mutari in consuetudinem. Nam quia habitus oriuntur ex saepius repetitis actionibus similibus; facile potest fieri, ne amplius nobis conscii simus, illarum actionum (2); ex quo apparet, dari etiam consuetudines gratiae seu habitus determinandi actiones ex praecedenti cognitione, ita tamen, ut eiusdem nobis non simus conscii (3).

(1) Si enim arbitratur, quod sumserit motiva ex unione cum *Christo*, quae tamen non sunt vere talia, errat et agit ex conscientia erronea, et sic etiam vice versa.

(2) Experientia id docet, atque ideo hic assumptum est ut axioma.

(3) Quia nulla actio ex stimulis orta ita potest repeti, ut ipsa illa repraesentatio sensitiva non denuo oriatur; consuetudines tantum ortum trahunt ex actionibus, quae cum cognitione distincta commissae sunt. Potest quoque aliquis saepius bonas actiones patrare, ita ut eius sibi non sit conscius, tamen non est consuetudo, quia hac actiones tantum sunt fortitae et non ex praecedente cognitione distincta ortae sunt. Non semper tamen una actio referri debet ad consuetudinem; nam licet ante pertinuerit ad consuetudinem, tamen postea iterum potest fieri ex cognitione distincta motiuorum vel ex repraesentatione sensitiva. Quin imo in actionibus compositis discerni potest id, quod fit ex consuetudine et id, quod fit ex cognitione distincta praesente. Cum etiam consuetudines oriuntur ex habitibus seu ex crebro exercitio, et in *Christianis* habitus duplicis generis sint; consuetudines etiam possunt habere duplicis generis, scilicet consuetudines naturae et consuetudines gratiae.

§. XVI.

§. XVI.

24. 25. 26. 2

Actiones omnes naturales hominis sunt imperfectae et eum non possunt obtinere finem, quem debent, §. 12. 13. Gratia igitur suppleat, id quod deficit, necesse est (1). Nam quamobrem essent actiones et habitus gratiae in homine, nisi ipse illis ad salutem uti deberet et posset, atque hanc ob causam etiam habitus gratiae diuersas accipiunt denominationes in s. Scriptura; dicuntur enim nouus homo *Eph.* 4, 24. quia habitus hominis regeniti ita comparati sunt, ut ad finem obtinendum sufficiant et *Gal.* 4, 19. Forma Christi ac *1 Cor.* 2, 16. sensus Christi. Omnes igitur defectus naturae respectu spiritualium gratia in regenito reparat; hominis regeniti cognitio igitur est uiua et ex hac motiua completa potest desumere: vires superiores dominantur in inferiores animae atque ideo non proprie et primario animus eius procliuius est ad bona apparentia; sed cognoscit, Deum esse summum bonum summo studio appetendum. Christus dicit *Iob.* 15, 5. sine me nihil potestis facere, nonne idem est ac si dixisset: actiones vestrae nulla ratione Deo placere possunt, sed ego per spiritum meum operari debeo in vobis id quod placet Deo, id est, gratia est, quae Deo placet, non natura: ergo gratia, porro concludere possumus, supplementum est naturae (2).

(1) Actiones hominum naturales suppetunt ad promouendam et procurandam sibi felicitatem externam, sufficiunt etiam ad viuendum externe honeste, sed neuiquam ad spiritualia et ad virtutes supernaturales, et de hac insufficientia hic sermo est. Gratia hanc etiam insufficientiam tantum tollit et vires corruptas corrigit, vnde oriuntur mutationes hominis fini ipsius conformes. Infra obseruandum erit, supplementum gratiae in vno homine maius esse quam in altero et vnde haec diuersitas proficiatur.

C

(2) Pa.

(2) Patet ex hoc quam obrem mutationes hominis, quae fundatae sunt in vnione cum *Christo*, dicamus gratiam; nam fauor Dei immeritus causa est efficiens earum, ille operatur in nobis per Spiritum Sanctum, sine qua operatione ne *Christum* quidem dicere possumus Dominum 1 *Cor.* 12, 3. Modus et ratio, qua gratia defectus naturae reparat, omnino igitur est supernaturalis; nam nos illud non viribus nostris possumus efficere, tamen non contra naturam, de quo etiam infra plura differemus.

§. XVII.

Omnes mutationes hominis sunt in natura eius fundatae aut respectu facultatis aut respectu receptiuitatis. Ergo etiam mutationes, quae pertinent ad gratiam, rationem habeant oportet in viribus hominis. Vires vero hae vel sunt mere naturales vel plane ab iis diuersae, vel naturales ad maiores gradus prouectae: si primum esset, mutationes essent naturales §. 4. alterum vero contradiceret aliis veritatibus euictis. Nam Deus ab homine postulat cultum ex libertate oriundum; alias enim potuisset creare machinas: si igitur nouas produceret in homine vires hominis libertati derogaretur aliquid: homo enim tunc non posset resistere, et S. Scriptura tamen docet, hominem operationibus diuinis posse resistere. Homo quoque plane alius esset, qui gratiam nancisceretur quam qui ea indigeret; nam vires pertinent ad essentialia; si vero essentialia mutantur, ens etiam ipsum mutatur (1). Nihil igitur superest, nisi tertium, vires scilicet naturales tantum prouehi ad superiores gradus et totam ipsorum dispositionem fini conformiorem effici (2). Idem quoque apparet ex S. Scriptura, docet enim aperiri oculos hominum in conuersione *Act.* 26, 18. quod nihil indicat aliud, quam cognitionem hominibus procurari spiritualium ampliore et viam, ac non facultatem cognoscitiuam hominis

nis naturalis exstirpari sed tantum corrigi et amplificari. Facultas quoque appetitiua ita emendatur, et necessario fit haec emendatio, emendata iam facultate cognoscitiua, quia illa in hac rationem habet (3).

(1) Si necessarium esset vt homo nouas acciperet vires in conuersione et regeneratione ad occupandum salutem, Deus faceret aliquid superflui, nam videmus, nos Deum posse cognoscere et amare viribus naturalibus, licet hoc fiat minori quam par est gradu: si itaque Deus tantum vires has naturales effert ad superiores gradus, praestare possumus, quod postulat et non opus est nouis viribus et facultatibus. S. Scriptura dicit, nos seruari per fidem in Christum, ad hanc vero pertinent, viua cognitio, assensus conuincens et certa fiducia, quae omnia conueniunt cum viribus nostris naturalibus, vt tantum maior eorum gradus requiratur. Quod enim attinet ad cognitionem, manifestum est, nos habere facultatem cognoscitiuam, et assensus conuincens necessario sequitur ex cognitione viua; natura enim nostra ita comparata est, vt appetat id quod ipsi bonum videtur, terrium vero etiam deduci potest ex primo, nam cognoscimus, extra *Christum* nullam dari salutem, omne igitur auxilium ab ipso petamus necesse est.

(2) Iam §. 12 et 13. corruptionem virium nostrarum contemplati sumus et vidimus neutrquam illas fini suo esse conformes. Nihil aliud igitur necesse est, vt recuperemus salutem, quam vt vires nostrae iterum in finem dirigantur primum et ad hoc tantum opus est, vt vires nostrae naturales emendantur et prouehantur ad maiores gradus.

(3) Vires hoc Spho sumimus sensu strictissimo, quo indicant, rationes inhaerentiae accedentium seu mutationum. Possunt tamen sensu latiori habitus gratiae etiam nominari vires vt et nominantur, neutrquam tamen sunt vires sensu strictissimo sumtae.

§. XVIII.

Mutationes et habitus, quae pertinent ad gratiam, nobis non possumus viribus nostris naturalibus procurare, sed Deus est causa efficiens illorum; ergo semper in productione illarum editur miraculum. Omne vero miraculum naturae tam conuenienter fit, quam possibile est; ergo etiam hoc (1). Cum igitur natura nostra ita comparata sit, ut per cognitionem nos determinemus ad appetendum et auerſandum aliquid; etiam huic veritati in productione gratiae satis fieri debet (2). Porro omnes status nostri fundati sunt alter in altero, ergo quoque saltim ex parte status gratiae fundatus sit, requiritur, in statu praecedente. Ex quo patet, et hominem impium reduplicatiue consideratum, non posse recipere gratiam, et hominem aliquatenus se debere et posse praeparare ad gratiam, ita et diuinae inuitationi praeuenienti obtemperet, illius sit cupidus, media adhibeat et omnia remoueat impedimenta, quantum ipsi possibile est et denique illi non resistat (3). Nullus quoque habitus oritur in instanti sed repetitione actionum identicarum produci-
tur §. 2. Ergo etiam habitus gratiae ex crebro actionum exercitio oriri debent, et non dantur habitus gratiae intusi. Omnis quoque habitus potest minui intermissione actionum illarum, ex quorum repetitione ortus est, ergo etiam habitus gratiae minui possunt; quin imo plane destrui, si actiones cessant, ex quibus ortae sunt (4). Sed quoque habitus ad maiores potest euehi gradus, si non interrumpatur, sed semper actiones, quae rationes eius sunt, repetantur; etiam habitus, qui referuntur ad gratiam, possunt ad superiores gradus efferri (5). Hae sunt regulae generales, quae naturae humanae in genere competunt, sed cum vnaquaeque natura semper sit in quodam statu, gratia quoque non plane eadem

25

24

26

2

eadem esse potest in omnibus hominibus, sed diuersa est, ita ut status, in qua natura est, requirit.

(1) Productio mutationum gratiae fit per miraculum. Nam omne miraculum est euentus, qui a nullius entis contingentis natura secundum ordinem naturae actuari potest. Si igitur mutationes gratiae a solo actuantur Deo, omnino actuantur per miraculum. Quia vero nunquam fit in mundo optimo miraculum, nisi quando leges mundi optimi postulent, nempe actuari euentum meliorem miraculo, quam natura sub iisdem circumstantiis actuari possit; etiam in productione gratiae maior obtineri debet perfectio, quam quae obtineri possit sub iisdem circumstantiis natura, atque hoc reapse fieri iam apertum est ex antecedentibus: superfluum quoque esset, si Deus miraculum ederet, cum euentus ille natura potest actuari. Ac cum miraculum fere semper sit euentus compositus, omnes euentus, qui actuari possunt natura, naturae viribus etiam producantur, necesse est.

(2) Naturale nobis est, ut appetamus bonum et auersemur malum, nihil vero nobis bonum potest videri, nisi nobis ita praesentemur; nam ignoti nulla cupido: nec malum possumus aliquid censere, nisi illud ut malum cognoscamus. Haec vero cognitio vel distincta est vel non. Si prius est, appetimus aliquid rationaliter; si posterius, appetimus et auersamur aliquid sensitiue. Mutationes gratiae igitur neutri harum regularum et legum naturae contrariari debent et ex hoc innotescit, quomodo producantur in infantibus mutationes gratiae, nam hi appetitionis et auersationis rationalis non sunt capaces.

(3) Hoc non semper eodem fit modo, nam per saepe hoc ipsum fieri nequit ob ignorantiam, praeiudicia, praeconceptas opiniones et inordinatas animi commotiones; sed loquimur tantum de possibilitate et non de actualitate. Omnino vero homo viribus naturalibus ad saluarem doctrinarum diuinarum usum se praeparare potest; quin imo ipsum ad illum stimulant et incitant, atque illius contemptum inexcusabilem efficiunt, atque

C 3

huc

huc referri debent omnes virtutes philosophicae et naturales; nam potest aliquis verbum S. legere, considerare, et sacramentis uti sine adiumento diuino. Oracula quoque diuina idem afferunt *Rom.* I. 18. 21. c. 2, 12. licet salutare effectus huius vsus mediorem salutis a gratia diuina eiusque praeuenientis operatione pendeant.

(4) Si habitus in actionibus contrariis auferantur, semper etiam habitus gratiae minuuntur. Qui igitur se iterum peccato delectat et se determinat ex consilio facultatum inferiorum, omnino amittit gratiam, et ex vnione cum *christo* transgreditur in statum peccati dominantis. Ipsa Sacra Scriptura hanc possibilitatem amissionis gratiae etiam docet, cum tam serio nos adhortetur ad vigilantiam et vsus legitimum gratiae *1 Cor.* 10, 12. *1 Petr.* 5, 8. *2 Cor.* 11, 3. Qui igitur iam maiores habitus acquisiuit gratiae, difficilius eos amittit, sed nihilofecius possibilis est amissio eorum, et eandem ob causam est eo minus excusabilis.

(5) Hae diuersitates gratiae constituunt diuersas Christianorum aetates. Ratio vero huius diuersitatis est vel maior cognitio viua veritatum diuinarum vel maior gradus habituum, qui ad gratiam pertinent. Si igitur quis magis ex cognitione agit sensitua quam distincta veritatum reuelatarum, adhuc ille est infans, et ille ad perspiciendum totum veritatum reuelatarum nexum ineptus est. *Ebr.* 5, 11. *1 Ioh.* 2, 12, 13. Si vero quis iam gaudet habitu agendi ex cognitione distincta et viua veritatum diuinarum, et sensibus exercitis ad distinguendum bonum et malum, ille est adolescens et vir *1 Ioh.* 2, 13, 14. qui si etiam gaudet prudentia et experientia spirituali, dicitur Pater.

§. XIX.

Neuiquam nos eo, quod in *Spho.* asseruimus praecedente, naturae plus tribuimus, quam illi reuera competit, neque ita synergistis assentimur, qui modiculum aliquod reliquum in homine mansisse, vnde ex se momenti aliquid ad conuersionem afferat, contendunt. Nam tantum affirmamus,

mus,

mus, hominem quia gratiae productio semper requirit receptiuitatem; passiuè concurrere ad salutarem emendationem producendam. Medium igitur tenemus duce S. Scriptura. Nam neque assumimus, vires naturales sufficere ad salutem §. 12. 13. neque vires naturales plane seponi in productione gratiae et plane nouas procreari facultates §. 17. neque loco virium naturalium actuari vires plane alias, id quod somniant Enthusiastae. Nam illi dimicant ipsentatem, vt loquuntur, debere interfici et necari (1). Vt nihil in homine sit quam gratia, et gratiam in homine non actuari mediis ordinariis, sed visionibus et affatibus diuinis. Sed si verum est quod euincere studuimus §. 17. falsitas etiam illius sententiae iam demonstrata est. Apparet quoque praeterea falsitas huius asserti ex eo, quod sic homo gratiam non amittere posset, quod tam §pho praecedente stabiliuimus obf. (4). Neque conceptibile esset, quomodo per verbum et sacramenta, vt per media ordinaria mutationes gratiae producerentur, quam vero vt difficultatem tollerent defensores illius sententiae, operari gratiam in homine per visiones et afflatus demonstrare omnem operam nauarunt. S. Scripturam ideo putant esse litteram mortuam, et multis ex locis illius probare conantur veritatem sententiae suae. Primaria loca, quae ad hoc confirmandum afferunt sunt (I) *Iob. 6, 45.* sed si homines verbum diuinum legitima ratione accipiunt, et ita docti euadunt, nonne sunt docti a Deo? scilicet per verbum eius patefactum, et nisi ita explicemus hoc dictum, aliis luculentioribus contradiceret. (II) *Iob. 3, 27.* primo Iohannes hic non loquitur proprie de donis gratiae, secundo etiam homo nihil accipere potest, nisi detur ei e coelo, nimirum a Deo per media legitima et iuxta ordinem ab ipso decretum et institutum. Manet igitur sententia nostra stabilita,

nacu-

naturam non plane destrui et everti gratia; sed tantum naturam per media legitima euehi ad maiorem gradum ac defectus illius suppleri a gratia. Non igitur Deum implorare debemus, ut nos reducat in nihilum, ut plane noui resurgamus, quod dicunt Enthusiastae et Fanatici. Nam S. Scriptura nihil de hac essentiali docet mutatione et contradicit etiam veritatibus naturalibus irrefragabilibus stabilitis rationibus, quin imo ipsis Dei perfectionibus praecipue sapientiae eius nec non iustitiae.

(1) Scriptores et doctores mystici multi eiusmodi phrasas adhibent in sano sensu, ita ut intelligant per annihilationem hominis et eius ipseitatis, ac per mortem spiritualem, oppressionem philautiae, ut homo Deum summum suum putet bonum et in eo veram suam quaerat felicitatem et animi sui acquiescentiam. Omnino fatendum tamen est, admodum incommodas esse eiusmodi loquendi formulas et valde ambiguas, quam ob rem etiam Fanatici illas tam male interpretati sunt.

§. XX.

Quia gratia tantum natura ad maiores effertur gradus §. 17. et natura et status praecipue eius non in omnibus hominibus sit idem §. 18. sequitur, gratiam etiam in omnibus hominibus, qui eam accipiunt, non esse eandem. Omnes mutationes hominis naturales rationem habent in viribus et facultatibus ipsius §. 17. Si igitur gratia diuersa est, iuxta diuersitatem naturae; vires et facultates naturae et earundem diuersitatem consideremus necesse est, vnde etiam diuersitas gratiae patecet. Experientia docet, habere nos et facultates animae superiores et inferiores: ad superiores pertinet primo intellectus seu facultas cognoscitiua superior, huius cognitio vel iam naturaliter magna est respectu veritatum et doctrinarum diuinarum, quae pertinent ad ordinem salutis, vel minus; in priori casu homo, qui tali gaudet facult-

cultate cognoscitiua superiori, maiores etiam obtinet gradus gratiae, quae et auget illam cognitionem et viam reddit, vt motiua, quae ex illa desumuntur, sint completa; in posteriori casu gradus gratiae sunt minores, id est, habitus gratiae non tam perfecti sunt, quam in priori casu, licet continuato exercitio etiam possint euadere perfectiores (1). Secundo ad facultates superiores referri debent voluntas et noluntas seu appetitio et auersatio rationalis, quae si iam naturaliter ad gradus aliquatenus superiores euecta est, gratiae quoque maioris respectu illius, homo, qui illam possidet, fit particeps. Perfectio vero voluntatis in eo potissimum consistit, vt homo ex cognitione distincta desumat motiua ad actiones seu tantum appetat id, quod intellectus cognoscit vt verum bonum et auersetur modo id, quod cognoscit vt verum malum. Inferiores vero quoque facultates possunt naturaliter emendari, si sine suo tam conformes redduntur quam possibile est viribus naturalibus, et si non dominantur in facultates superiores, sed superiores in inferiores, id quod iam cognouerunt gentium quidam, et vt praestarent omnem mouerunt lapidem. Quia quoque facultatem cognoscitiuam habemus inferiorem; haec etiam debet emendari, vt et facultas appetitiua inferior, vt quoque sensitiue appetamus atque auersemur, quod reuera appetendum et auersandum est. Hac igitur ratione gradus gratia habet respectu receptiuitatis hominis. Nam Deus per bonitatem suam essentialem semper est paratus, hominis procurare salutem quantum possibile est, hoc est eatenus, quatenus homo eiusdem capax est; gratiae vero productio est opus Dei; ergo quoque in illa semper respicere debet receptiuitatem hominis (2). Homines quoque non omnes in iisdem viuunt statibus respectu rerum externarum, seu in iisdem circumstantiis, potest igitur

D

homo

homo indigere maiori gratiae gradu, licet eius via ordinaria non sit iuxta asserta praecedentia capax; si tunc Deus cognoscit, necessario indigere illum maiori et superiori gratiae gradu, tunc leges regni gratiae transgreditur et gratiam in homine illo auget (3). Ergo gradus gratiae non tantum diuersi sunt respectu receptiuitatis sed etiam respectu indigentiae.

(1) Potest homo admodum gratiae incapax esse ob imperfectionem maiorem naturae, sed haec incapacitas vel oritur ex actionibus liberis ipsius vel non; in priori casu homo ille omnino non habet receptiuitatem maioris gradus gratiae; in posteriori vero, Deus homini illi non imputat hanc incapacitatem, quia non rationem habet in actionibus eius liberis.

(2) Voluntas enim Dei et ita etiam bonitas eius sunt proportionalissimae seu debent rationem habere in obiectis, id est bonitas et voluntas diuina semper rationem obiectiuam habent.

(3) Sed sapientia Dei ita iam omnia disposuit per nexum vniuersalem, vt hic casus admodum sit rarus. Nam natura docet et S. Scriptura etiam docet, hominem non posse obligari ad impossibilia, si igitur homo ad mutationem seu actionem gratiae obligatus esset, et vires illius ad illam non sufficerent, obligaretur ad impossibile. Ergo homo semper ad actiones, ad quas obligatus est, habeat vires sufficientes necesse est. Circumstantiae vero illae praecipue deriuari possunt vel ex tentationibus a Deo permissis vel ex calamitatibus seu ex cruce. Si igitur vel maiores tentationes vel grauiores calamitates perferre debet, hic etiam maiorem gratiae gradum acquirat et nanciscatur oportet.

§. XXI.

Vt gratia gradus habet iam in ipsa productione; sic etiam semper varia diuersitate perdurant (1). Nam quia Deus etiam post productionem gratiae in homine semper cooperatur, atque ita haec etiam cooperatio determinatur per receptiuitatem obiecti, opus erit, vt explicemus, quae sint

sint rationes determinantes huius diuersitatis. Primo accessionis gratiae diuersitas oritur ex diuersitate productionis et indole ipsius gratiae in procreatione: quanta enim fit per conuersionem emendatio hominis, tanta etiam semper est ordinariae gratia. In conuersione satisfactio Christi nobis per fidem imputatur, quo maior ergo haec fides, eo maiores homo, qui illa gaudet, potest in gratia facere progressus (2). Secundo gratia iam producta accessuum capax est et homo respectu illius maiores obtinet gradus, si habitus iam acquisitos legitima usurpat ratione; nam quia omnis habitus non interrupto exercitio augetur, etiam habitus gratiae augentur, nisi actionibus contrariis minuantur §. 18. Ad hoc accedit, quod etiam Deus cooperetur ita in homine, ut permittit usus virium gratiae, quas homini iam dedit (4). Tertio quia Deus omnium hominum vult salutem atque etiam tantam ipsis procurare cupit, quantam obtinere possunt, et ipse illis per sapientiam et iustitiam inferre quit; Deus omnino gratiam in homine augere debet, si ille serio illius incrementum desiderat, et nihil obstat, quo minus augeatur. Quarto gratia augeri potest per usum legitimum mediolorum. Si igitur quis media ita adhibet, ut per cognitionem ipsius et vires gratiae iam acquisitas ipsi possibile est; ille omnino gradus gratiae nanciscitur maiores. Quinto ut Deus iam in productione respicit necessitatem virium gratiae §. 20. obs. 2; ita etiam illam respicit post productionem. Homo igitur multis obnoxius tentationibus et calamitatibus seu cruci, eo ipso nanciscitur maiores gradus gratiae et Deus quoque illam auget, ut tolerandae calamitati par sit 1 Cor. 10, 13.

(1) Non necesse est neque etiam fit, ut gradus semper augeantur, sed multis modis etiam possunt minui §. 18. Si vero hoc non fit hac ratione; augentur gradus gratiae. Ex hoc Spho etiam

D 2

con-

concepibile, qui fiat, ut gratia in hoc homine crebrius crescat et augeatur, in illo vero non ita.

(2) Nulla haec propositio indiget probatione; nam ex antecedentibus patet, habitus posse augeri; si igitur mutationes, quae rationem habent in vnione cum *Christo* ita comparatae sunt, ut facile exinde enasci possint habitus: omnino etiam habitus illi facili negotio augeri possunt.

(3) Si vero Deus videt, hominem vires gratiae male adhibere, non ita illas augere potest, ut faceret, si homo illis bene vteretur; nam voluntas eius proportionalis non id permittit, ut et bonitas eius. Si Deus praevidet, hominem male vsurum esse viribus, etiam gratiam augere non potest respectu operationum suarum extraordinariorum, ne augeat hominis illius calamitatem; maioris enim sic reus foret culpae et poenae.

§ XXII.

Ipsam gratiae productionem miraculo fieri, iam demonstratum est §. 18. Nunc tantum videmus, an etiam post eam respectu gratiae fiant miracula. In mundo optimo tam pauca fieri debent miracula, quantum possibile est, et non alia hypothesi, quam postulante scilicet lege mundi optimi §. 18. obf. (1). Quoties igitur mutatio aliqua, quae pertinet ad gratiam, necessario fieri debet, et vires gratiae ad illam efficiendam non sufficiunt; toties fit respectu gratiae miraculum, seu, si per miraculum euentus aliquis actuari potest sub iisdem circumstantiis, sub quibus euentus secundum ordinem gratiae actuatur, qui tamen non tam perfectus est ut prior, miraculum fieri debet. Quia vero Deus iam constituit media, quibus gratia continuari et augeri potest, atque ita iam ordinem quandam decreuit; plurimae gratiae mutationes fiant secundum hunc ordinem, necesse est (1).

(1) Posset quidem continuatio gratiae dici miraculum, quia Deus semper cooperari debet, sed partim non tota esset miraculum, partim in regno naturae mutationes non nominamus miracula, licet

licet fiant etiam conseruante, dirigente, gubernante et concurrere Deo. Sensus igitur strictissimo mutationes et habitus gratiae non sunt miracula; sed fiunt secundum ordinem et cursum gratiae ordinarium. Omne vero, quod huic ordini non conforme est, miraculum est regni gratiae.

§. XXIII.

Omnia nunc quae praemittenda erant, pertractata iam sunt: tertium igitur huius capituli momentum adhuc modo reliquum est, ut nempe ostendamus, inter gratiam et naturam nexum esse. Facili id fieri potest negotio, quia omnia ex antecedentibus patent et deriuari debent. Si itaque demonstrare volumus, inter gratiam et naturam esse nexum; euincere debemus, naturam et gratiam dirigi in vnum eundemque finem §. 9. seu naturam et gratiam media esse ad vnum finem atque ideo connexas esse per nexum moralem seu exitium §. 8. Ex explicatione gratiae apparebit, qui sit finis ipsius et ex explicatione naturae, illam habere eundem finem, id est gratiam et naturam media esse ad vnum finem. Hoc primum erit, quod ostendemus. Et quia res connectendae iam ante nexum qualitates quasdam debent habere, quae nexum efficiunt possibilem; probandum erit quoque, naturam et gratiam eo, quo nos sumus significatu, non contradictorie sibi oppositas esse: Atque hoc erit secundum. Ad has qualitates vero pertinet, res connectendas esse maxime similes: id quod tertium erit. Quartum vero, quod euincendum est atque explicandum, in eo consistit, ut ostendamus, dispositionem rei vnius connectendae rationem habere in altera. Nam quia media sunt ad finem eundem, non solum ita comparatae esse debent, ut finem obtineant eundem, seu non solum dispositio illarum fundata esse debet in fine; sed etiam altera in altera, alias enim se ipsae possent impedire, quia vna

longe alio modo et diuersa ratione finem obtinere posset, quam altera. Quod tum potissimum necessarium est, si vna res prius existit vt medium alicuius finis et altera deinde producit etiam vt medium.

- (1) Ordinem igitur sequimur eundem, quem nobis proposuimus §. 9. atque etiam omnia haec quatuor momenta explicari et demonstrari debent, quia sunt notae et characteres distinctiui nexus exigitiui atque omnia fluunt ex definitione nexus §. 6. exhibita.

§. XXIV.

In Spho 12. iam demonstratum est, finem naturae esse salutem et felicitatem hominis; sed non excludenda est gloria Dei seu manifestatio perfectionum eius, praecipue bonitatis et sapientiae. Nam ex contemplatione naturae eiusque dispositionis bonitatem Dei atque sapientiam clare ac vere possumus cognoscere; ergo natura utilis est ad procurandam maiorem perfectionum diuinarum agnitionem; hinc natura medium est ad gloriam Dei et gloria Dei finis est naturae. Leges naturae nos obligant, aliorum etiam hominum procurare felicitatem; natura igitur etiam utilis esse debet ad promouendam aliorum hominum salutem; nam ad impossibilia nemo obligari potest; ergo natura etiam medium est felicitatis aliorum hominum; hinc felicitas proximi finis etiam est naturae nostrae. Si nunc etiam probare possumus gratiam habere eosdem fines, seu vt medium directam esse in eosdem fines, probandum probauimus, nempe inter gratiam et naturam nexum esse. Gratiae etiam finem esse salutem ac felicitatem hominis, apparet ex Spho 16. vbi asseruimus, gratiam supplere id quod naturae deficit, ex quo sequitur: gratiam ad eosdem fines esse medium, ad quos natura est medium. Secundum Sphum 12. natura est medium felicitatis hominis; ergo etiam gra-

gratia. Idem patet ex Spho 17. in quo probauimus, naturam tantum per gratiam efferri ad maiores gradus, nec gratia in homine produci plane nouas facultates, quod iterum demonstrat, gratiam habere eosdem fines, quas natura habet. Tali ratione in genere demonstratum est, gratiam habere eosdem fines, quas natura habet; sed etiam in specie primo probari potest, salutem hominis esse finem gratiae ex S. Scriptura 1 Tim. 4, 14. 15. 16. PAVLVS TIMOTHEO scribit: ne negliges quod in te est donum, quod datum tibi est per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Haec meditare, in his esto, ut profectus tui manifesti sint in omnibus. Attende tibi ipse et doctrinae: mane in his; hoc enim si feceris, tam te ipsum saluum facies, quam eos, qui te audiunt, Ex quo sequitur, salutem et nostram et aliorum esse finem gratiae. Secundo ex S. litteris euinci potest, gloriam Dei esse finem gratiae; praecipue apparet ex dicto 1 Petr. 4, 10. 11. vbi PETRVS asserit: vnum quemque ita gratia, quam accepit, uti debere, ut in omnibus glorificetur Deus per *Iesum Christum*: satis igitur nunc manifestum atque apertum est, naturae fines esse manifestationem perfectionum diuinarum, salutem hominis, qui gratiam accepit, et felicitatem aliorum etiam hominum; clarum quoque et euictum est, gratiae eosdem esse fines; ergo sequitur inter illos esse nexum, ac quoniam per Sphum 8. nexus, qui est inter media, quae directa sunt in vnum eundemque finem, est nexus exigitiuus, moralis et relationum, demonstratum etiam est, inter gratiam et naturam esse nexum exigitiuum seu relatiuum et hoc est primum quod demonstrandum erat.

§. XXV.

Secundum, quod hic per §. 9. et 23. probandum est, consistit in eo, ut ostendatur gratiam et naturam non sibi eo, quo hic sumuntur, significatu contradictorie oppositas esse.

Ex

Ex §. 7. apparet contradictorie opposita esse, quorum vnum tollit, quod alterum ponit; si igitur probari potest, gratiam ponere idem, quod ponit natura; eo ipso euictum erit, gratiam et naturam non sibi contradictorie oppositas esse. Prius vero hoc probare possumus syllogismo: Si gratia eisdem fines habet, quos habet natura, idem ponit; atqui verum est prius §. 24. ergo et posterius; hinc sequitur, gratiam et naturam non sibi esse contradictorie oppositas. Tertium nunc facillimo deduci potest negotio ex duobus prioribus, nempe gratiam et naturam esse res maxime similes. Similes enim sunt respectu finium, in quos directae sunt, §. 24. similes porro sunt respectu modi, quo finem obtinent; nam natura felicitatem hominis procurat ordine a Deo instituto ac gratia eundem finem producit etiam secundum ordinem, quem Deus decreuit et disposuit. Similes denique sunt respectu indolis suae: nam gratia est complexus mutationum et habituum, et natura quoque est complexus mutationum et habituum, seu gratia et natura ad vnum idemque referri possunt genus (1).

(1) In omnibus igitur in quibus cunctae mutationes et habitus conueniunt, gratia et natura seu mutationes et habitus gratiae et naturae conueniunt, §. 18. Possunt etiam gratia et natura referri ad vnum genus, quia sunt media ad vnum eundemque finem.

§. XXVI.

Vnum igitur adhuc superest, nempe vt probemus, dispositionem gratiae rationem habere in dispositione naturae, atque indolem naturae rationem etiam aliquam in gratia, quod quartum et vltimum est §. 9. et 23. quod hic euinci debet. Quia vires hominis naturales propter corruptionem et deprauationem, finem, ad quem Deus illas homini in statu integritatis dederat, non obtinere possunt §. 12. 13. 16. oportet, vt
Deus

Deus ex bonitate sua infinita hoc malum repareret; nam homini ipsi impossibile est, ut restorationem huius mali efficere possit. Medium, quo homo in statu integritatis finem, ad quem creatus erat, obtinere poterat, impletio erat legis; sed cum per lapsum protoplastorum vires hominis ita debilitatae sint, ut mutationes eius e diametro contrariae sint legi diuinae; reparatio et restitutio salutis requirebat, ut haec reparatio ita institueretur, ut hominis mutationes iterum legi diuinae conformes essent (1). Impossibilitate vero obstante, ut vires sensu strictissimo sumtae in homine produci possint, necesse est, ut vires humanae naturales efferantur et prouehantur ad maiores gradus §. 17. ita ut mutationes hominis rursus legi possint esse conformes. Si vero vires non essentialiter mutantur, semper aliquid mali reliquum esse, necesse est, et experientia et praecipue S. Scriptura docet, nos semper in hac vita habere peccatum originale, ex quo etiam peccata oriuntur actualia, ad haec igitur tollenda etiam requiritur et necessarium est medium, si gratia sit medium ad salutem sufficiens. Mediator igitur aliquis loco nostri debebat substitui, qui iustitiae Dei satisfaceret et pro peccatis nostris praestaret expiationem. Quod munus nemo alius subire poterat, quam talis, qui omni vacaret culpa, ut et omnis expers esset obligationis ad observationem legis, id est, is tantum hoc opus suscipere poterat, qui reapse illud suscepit, nempe CHRISTVS. Sed quia bonitas Dei est proportionalissima semper obiectis et nunquam bonitas iustitiam tollit, quin potius ex bonitate proportionali fluit; Deus nullum hominem per acceptilationem saluare poterat, sed ordine potius aliquo opus erat, quo homines expiationis et satisfactionis CHRISTI euaderent participes, qui in eo consistit, ut homines per fidem viuam, quam Deus per operatio-

E

nes Spiritus Sancti in illis accendit, meritum CHRISTI sibi imputent et ita salutis fiant capaces. Hac igitur ratione atque hoc modo possibilitas acquisita est, ut homo salutem possit nancisci, ut vires eius possint efferri ad maiores gradus et ut prouectis illis ad gradus superiores, etiam mutationes et habitus ex his orti legitime esse possint, et ordine obseruato reuera sint (2). Ex his igitur, quae iam iam prolata sunt, satis apparet, dispositionem gratiae rationem habere in dispositione naturae, seu dispositionem gratiae deriuari debere et posse ex indole mutationum et habituum naturalium (3). Ad secundum igitur progredimur, et probare conamur, dispositionem naturae etiam aliquam habere rationem in dispositione gratiae. Deum iam praeuidisse lapsum eiusque impeditionem impossibilem, nemo inficias ire potest. Bonitas vero ipsius requirebat, ut lapsum tali ratione permitteret, qua facillimo negotio reparatio illius esset possibilis: quin imo, iam ipsam naturam hominis ita disponderet, ut lapsus non fieret irreparabilis, qua propter homini non plus virium dedit, quam habuit, quia tamen lapsus factus esset, et homo maioris fuisset culpae reus. Iam igitur Deus reparationem lapsus seu gratiam tum ante oculos habuit, atque ex hoc patet, quam ratione et quonam modo dispositio naturae rationem habeat et fundata sit in gratia (4). Nunc igitur omnia probauimus, quae probanda erant, si demonstrare velimus, inter gratiam et naturam esse nexum.

(1) Nulla enim substantia libertate praedita ac ratione, felicitatem sibi alia via potest procurare quam legitimo virium, quibus instructa est, vsu; hic vsus vero nequiquam legitimus esse potest, nisi sit fini suo conformis, ac congruens et voluntati conueniens creatoris sapientissimi. Quia vero substantia libertate et ratione praedita per talem virium naturalium vsum non aliarum particeps euadere potest perfectionum, quam illarum, quae

quae consecretaria naturalia sunt illius, et tamen Deus ex summa sua bonitate hominem ad maiorem felicitatem destinauerat; necesse erat, vt Deus etiam hominibus leges ferret arbitrarias, et cum illis coniungeret praemia; quoniam alio modo maioris felicitatis homo non capax erat et Dei alias bonitas non fuisset proportionalissima. Loquimur hic de statu primo integritatis, nam postea in statu gratiae et restitutionis omnino Deus etiam potuit praemia annectere legibus naturalibus. Ex hoc igitur patet, reparationem salutis hominum eo, quo diximus in Spho modo, debuisse fieri.

(2) Quia quoque nobis imputatum est peccatum *Adamiticum* *Rom. 5; 12. 14. 15. 19.* etiam hoc tolli debebat, atque hoc non alia ratione fieri poterat, quam vt alius quoque fieret caput hominum foederale et ad sustinendas eorum vices se ipsum substitueret. Nam vt ADAMVS caput fuit foederale, quem Deus instar legati in obseruanda lege sua constituit, vt ipse vel obseruatae vel violatae remunerationem posteris imputaret. *Hosea 6. 7. collat. Genes. 2, 25. c. 2, 24.* Ita CHRISTVS etiam fuit legatus, qui loco hominum legem impleuit et iustitiae satisfecit diuinae, quo satisfactio ipsius etiam hominibus posset imputari *Rom. 5, 12. seqq.*

(3) Posset aliquis hic censere, nos in hoc Spho sumere gratiam alio significato ac sumimus in praecedentibus, sed si euicimus, rationem mutationum et habituum gratiae fundatam esse in natura eiusque dispositione; omnino etiam demonstrauius gratiae, eo quo sumimus significato, dispositionem rationem habere in natura. Nam ratio rationis est etiam ratio rationati.

(4) Huc quoque spectat, quod Deus ita omnia disponderet, vt peccatum primi hominis posset ad posteros omnes per imputationem moralem transferri. Nam hac ratione etiam possibile erat, vt iustitia et satisfactio mediatoris CHRISTI hominibus posset imputari. Si igitur ADAM non fuisset caput hominum foederale et legatus ipsorum; non ipsis potuisset per imputationem moralem imputari peccatum ADAMI ac consequenter etiam minime satisfactio CHRISTI illis utilis esse potuisset.

CAPVT III.
DE REGNO GRATIAE ET
NATVRAE.

§. XXVII.

Artissime cum tractatione praecedente connexa est illa de regno gratiae et naturae. Nam cum in praecedentibus explicauerimus gratiam et considerauerimus mutationes et habitus, quae ad illam pertinent, eiusque relationem ad naturam; opus etiam nunc est, vt relationem mutationum omnium inter se et nexum illarum contemplemur, nec non relationem regni naturae ad regnum gratiae seu vtriusque harmoniam. Atque hoc erit argumentum huius capitis.

§. XXVIII.

Primo in hac tractione opus erit vt videamus, quidnam intelligendum sit per Regnum gratiae, nam varie etiam hic terminus compositus explicari solet. Regnum gratiae hic significat nexum omnium mutationum, quae propius pertinent et necessariae sunt ad vnionem cum Deo. Tria alias assumuntur regna: regnum naturae seu potentiae, ad quod omnes status naturales referuntur; regnum gratiae dicitur complexus operationum, quae ad salutem hominum praestandam directae sunt; et regnum gloriae, ad quod pertinent status beatorum post mortem in vita futura. Hic vero specialius sumitur regnum gratiae atque ad illud tantum referuntur mutationes, quae propius spectant ad vnionem cum Deo. Quia per definitionem regni gratiae in hoc Spho allatam inter mutationes, quae ad illud pertinent, est nexus; et nexus tantum locum habet, si aliud in alio fundatum est et rationem habet; etiam mutationes regni gratiae ita comparatae esse debent, vt altera in altera rationem habeat. Si vero multa iuxta se vel
post

post se inuicem ponuntur, illae coniunguntur; Ergo mutationes regni gratiae coniunctae sunt. Et quoniam haec coniunctio non aliter fieri potest, quam per rationes determinatur, atque hae rationes semper sunt eadem, nam sunt mutationes regni gratiae; coniunctio etiam est eadem, seu in regno gratiae est ordo. Hic ordo et coniunctio est determinatio in regno gratiae rationibus conformis: propositio vero enuncians determinationem rationi conformem, est lex; Ergo etiam in regno gratiae dantur leges mutationum. Nam quia mutationes, quae pertinent ad regnum gratiae, semper sunt simili modo et ratione, facile propositiones, quae has determinationes enunciant, possunt exinde deduci et in sacra scriptura tales leges etiam inueniuntur. Additamentum vocis *propius* non frustra adiectum est, sed ad euitandam omnem amphiboliam. Nam multae mutationes, quae pertinent ad regnum naturae, etiam aliquid faciunt ad procurandam vnionem cum Deo, et ad illam necessaria sunt, sed valde mediate, minime vero immediate. Nimis indeterminate igitur locuti essemus; si diceremus, omnes mutationes, quae pertinent ad vnionem cum Deo, referri etiam debent ad regnum gratiae.

§. XXIX.

Causa efficiens et autor huius regni gratiae est solus Deus, nam ex §. 16. 18. apparet; nostras vires naturales nequam sufficere ad producendas mutationes gratiae, Deus quoque tantum gaudet perfectionibus ad illud instituendum necessariis, scilicet sapientia summa; nam gratia medium esse debet ad salutem, vt igitur sufficiens et optimum sit, requiritur sapientia summa, vt et potentia summa. Deus quoque est auctor regni gratiae, quia tantum ius habet ad disponendum illud, nam ipse per peccatum offensus est, vt igitur haec

offensio tollatur, ab ipso dependet, vt et quomodo salutem hominum reparare velit. In specie vero singulae etiam personae diuinae ad auctorem huius regni pertinent: primo Pater, cui inprimis decretum de hominum salute tribuitur, seu decretum de gratia et omni quod ad illam pertinet; secundo filius, qui merito suo viam ad salutem iterum aperuit, et vires facultatesque gratiae nobis procurauit, ac qui operationibus suis etiam gratiam in nobis producit; Tertio Spiritus S. cui hoc opus externum praecipue attribuitur terminatiue et oeconomice (1).

(1) Plurima huius Sphi momenta sunt lemmata ex dogmatica Theologia desumpta, quam ob rem non prolixiores esse volumus.

§. XXX.

Subiectum, in quo offenditur regnum gratiae, seu cui destinatum est, homo est; nam hic illius solus est capax et illo indiget. S. Scriptura quoque idem docet: nam PAVLVS *Ebr. 2, 16.* dicit: non enim vsquam angelos assumit, sed semen ABRAHAE assumit. Ex hoc dicto igitur pater: CHRISTVM, cuius merito et satisfationi innititur regnum gratiae, tantum semen *Abrabae* seu homines pro obiecto suae expiationis habuisse. Media vero, quibus Deus vtitur ad producendum regnum gratiae, sunt vel extraordinaria, si Deus ipse operatur mutationes sine mediis externis, id quod rarissime tamen accidit; nam Deus tantum agit mediate, quantum possibile: vel ordinaria, quae iterum distingui possunt tam in media propria et directa, quo pertinet verbum Dei (1) et sacramenta; quam in media impropria et indirecta, quo spectant praeparationes atque excitationes ad amplectendam gratiam Dei, atque huc referri possunt tum ipsum naturae lumen et legitimus rationis vsus, tum omnes rerum hominis mutationes, praecipue extraordinariae et inexpectatae. e. g. euentus fortunae

tunae bonae et secundae aut malae, beneficia imprimis singularia, et iudicia diuina, nec non calamitates extraordinariae et singulares, tum exempla aliorum, si homo tranquillitatem et acquiescentiam illorum contemplatur et singularem circa ipsos obseruat prouidentiam diuinam, quae omnia homines admodum incitare possunt ad accipiendam gratiam diuinam, atque ideo media sunt regni gratiae (2)

(1) Promissiones imprimis diuinae seu euangelium, neutiquam tamen lex omnino excluditur, sed haec homini miserabilem status sui conditionem ante oculos ponit, atque ita efficit, ut eius emendationem et reparationem sedulo querat, id est, ut ad euangelium refugiat, atque hoc modo igitur lex concurret praeparatorie: 2 *Tim.* 1, 9, 10.

(2) Quod haec vera sint media, ex S. Scriptura probari debet. Quod primo attinet ad extraordinaria, Exemplum inuenimus *Act.* 9, 3; sed quia non semper perfectionibus diuinis sunt congruentia et quia hominis culpa augetur, si male hac immediata operatione diuina uteretur, rarissime Deus utitur mediis extraordinariis. Secundo media ordinaria et quidem propria etiam demonstrari possunt ex S. literis. *Rom.* 10, 14. Impropria vero satis etiam fundata sunt in S. Scriptura et quidem primo; quod lumen rationis sit medium, apparet ex *Rom.* 1, 20, c. 2, 14, 15. *Act.* 17, 25-27. secundo rerum hominis mutationes patet ex *Dan.* 4, 27. *Hof.* 2, 8. et tertio exempla aliorum, manifestum ex 1 *Cor.* 1, 5-11. *Matth.* 5, 16.

§. XXXI.

Gratia est supplementum naturae §. 16; ergo etiam regnum gratiae ad supplendum id, quod regno naturae deficit, institutum est. Hinc sequitur regnum gratiae habere eundem finem, quem habet regnum naturae, et quia regnum naturae ad hunc finem medium est insufficientis, regnum gratiae ut supplementum illius a Deo est constitutum. Et exinde deriuari potest, dispositionem regni gratiae rationem habere
in

in regno naturae, quod etiam patet ex §. 26. Vnde magna oritur regni gratiae cum regno naturae conuenientia. Ex duabus rationibus hanc harmoniam regni gratiae et naturae etiam possumus probare; primo ex nexu vniuersali: nam omne in hoc mundo est in nexu, ita vt semper vnum sit ratio alterius, si igitur regnum gratiae non tam arcte cohaereret cum regno naturae, non esset nexus ille vniuersalis; alia enim ratione mutationes, quae pertinent ad regnum gratiae, in hunc nexum non venire possent. Secundo haec harmonia probari potest ex sapientia Dei summa. Nam quia regnum gratiae est medium, quod supplere debet id, quod deest regno naturae; ita comparatum sit necesse est, vt finem, quem cum regno naturae communem habet, eodem obtineat modo, quo regnum naturae illum obtinere debuisset, alias enim non esset medium, quod suppleret defectus regni naturae. Sapientia quoque Dei semper eligit media optima, quod vt sit medium aliquod, requiritur, vt nihil superflui contineat: si vero regnum gratiae non ita conueniret cum regno naturae, non posset non, quin aliquid superflui contineret. Nam Deus non elegisset viam breuissimam, quia omne, quod fieri posset per regnum naturae, fieri deberet per media alia. Ad medium quoque optimum pertinet, vt sit sufficiens: nisi vero haec harmonia esset inter regnum gratiae et naturae, etiam medium esse posset insufficiens atque incompletum, si non esset abundans, atque ita etiam Deus non potuit eligere. Ipsa vero haec harmonia consistit tam in conuenientia legum mutationum quam finium. Si enim talis inter regnum gratiae et naturae est harmonia, qualem iamiam demonstrauius, omnino etiam conuenientia legum mutationum esse debet. Quia etiam regnum gratiae est complementum regni naturae; regnum gratiae eodem debet habere fines.

§. XXXII.

§. XXXII.

Quia regnum gratiae etiam in hoc conuenit cum regno naturae, vt producat a Deo, atque ita eandem ambo habeant causam efficientem, atque haec productio considerari potest vt creatio; quia porro existentia huius regni continuatur a Deo, qui semper cooperationibus suis concurrat: quatuor quoque hic momenta consideranda erunt, vt circa regnum naturae, scilicet primo productio seu creatio, id est actuatio existentiae regni gratiae; secundo conseruatio, quae consistit in eo, vt Deus existentiae continuationem sufficiat; tertio vt Deus vires, quae ad regnum gratiae pertinent, continuet, et quarto, vt Deus ipsas mutationes procuret sapientissimeque determinet. Operationes vero Dei non solum respectu totius regni gratiae sub his momentis comprehendi possunt; sed etiam operationes respectu personarum singularum; nam vt in regno naturae hae actiones Dei non tantum respiciunt vniuersum in genere, sed etiam singula indiuidua, ita etiam in regno gratiae hae operationes Dei spectare debent ad indiuidua.

§. XXXIII.

Productio regni gratiae dupliciter potest intelligi; primo si illam explicamus per dispositionem et constitutionem ordinis salutis atque ipsam productionem eiusdem manifestationemque; secundo si procreatio est gratiae in homine. Possunt quidem ambo significatus coniungi, sed in posteriori significato proprie in S. Scriptura illa dicitur creatio, *Eph. 2; 10. Ps. 51, 12. 2 Cor. 5, 17.* licet etiam mediate respiciatur significatus prior. Quatuor vero praecipue sunt causae, propter quas haec productio etiam dicitur creatio; primo, quia haec productio etiam est opus Dei, vt creatio mundi et iisdem innititur perfectionibus Dei, quibus prima creatio innititur

F

titur

citur §. 29. Secundo: quia quoque per verbum Dei instituitur, vt illa; nam verbum Dei est medium, vt patet ex §. 36. Tertio: quia aliquid per hanc creationem in homine producit, quod antea in illo non adfuit, scilicet noua modificatio et elatio virium ad maiores gradus, quae tamen est ratio nouarum hominis mutationum. Quarto denique, quia etiam haec creatio incipit per productionem lucis; nam si homo regni Dei vult euadere particeps, cognitio eius debet emendari et viuā reddi; quae mutatio dicitur illuminatio. Quemadmodum vero Deus in prima creatione mundi in initio creauit immediate materiam primam seu elementa, postea vero ex his elementis non tali immediato modo omnia formauit, quae pertinent ad hoc vniuersum; ita etiam in regni gratiae productione, si illam sumimus primo significato, Deus semper magis operatus est immediate, postea vero magis mediate in productione eius in indiuiduis, postquam iam ordo ad regnum gratiae perueniendi manifestatus est.

§. XXXIV.

Post productionem vero virium, in quibus fundatae sunt mutationes gratiae et post procreationem spiritualis vitae ac supernaturalis, Deus etiam illius continuationem actuat et existentiae status huius durationem efficit, quae operatio Dei dicitur conseruatio diuina in regno gratiae. Vt enim continuatio vitae naturalis in Deo rationem habet, ita etiam duratio vitae spiritualis. Conseruatio igitur haec complectitur decretum voluntatis diuinae de duratione actualitatis status gratiae. Quoniam vero omne Dei decretum actus est voluntatis ipsius proportionalissimae obiectis, atque ita nullum Dei decretum de contingentibus esse potest absolutum seu ita comparatum, vt motuum eius non desumatur ex obiecto; decretum quoque hoc Dei non est absolutum sed hypotheticum.

24. 25.
26.
2

cum. Ex quo patet, neutiquam necessariam hanc vitae spiritualis durationem esse, sed hominem posse illam impedire. Licet igitur iam producta sit vita supernaturalis, iterum deficere potest, si homo operationibus diuinis obstat, mediaque gratiae reicit. Nunquam quoque mutationes hominis, quae pertinent ad gratiam, ad illam in hac vita perueniunt perfectionem, vt nulla omnino in illis deprehendatur imperfectio; sed semper aliqui remanent defectus (1); posset igitur aliquis putare, Deum hos etiam itaque defectus conseruare; quia vero hi defectus non pertinent ad vitam spiritualem, sed tantum ab ea, propter praesentiam tam mali metaphysici quam moralis, quod etiam per gratiam non plane tollitur, non omnino separari possunt; Deus etiam proprie hos defectus non conseruat. Omnia in regno gratiae mediate fieri debent, si possibile est §. 30: ergo etiam haec continuatio existentiae vitae spiritualis tam mediate fieri debet, quam possibile; neque Deus conseruationem hanc vitae supernaturalis operationibus extraordinariis procurare potest, nisi impossibilitas obstet, quo minus eandem possit conseruare mediate et ordinarie.

(1) Neque enim gratia sufficit, vt actiones et mutationes nostrae plane fiant legi diuinae conformes, sed etiam Sanctus IOHANNES fatetur 1 Ioh. 1, 8; si dicimus, nos omnino peccata non habere, erramus et veritas neutiquam est in nobis, et ex multis aliis locis idem apparet, in quibus credentes excitantur, vt semper debita diligentia studeant, quo subinde euadant perfectiores.

§. XXXV.

In regno gratiae etiam necesse est, vt Deus propiori modo ad mutationes, quae pertinent ad gratiam, operationibus suis aliquid conferat, et haec actio Dei dicitur concursus eius in regno gratiae. Nam nunquam non homo a Deo dependet, igitur etiam in mutationibus, nec sufficit, vt Deus tantum gratiam in homine producat et conseruet, sed etiam ne-

cessarium est, ut vires, in quibus mutationes, quae referuntur ad regnum gratiae, rationem habent, semper procuret ad mutationes sufficientes atque illas, si opus fuerit, adaugeat (1). Ut vero vires hae ad mutationes gratiae sufficientes sint, requiritur, ut hic concursus et influxus Dei semper respiciat indigentiam hominis, nec non ut procuret vires necessarias ad bonum in omnibus hominum facultatibus (2). Quia vero Deus tantum virium existentiam continuat per influxum, determinatio vero atque usus harum virium in agendo ab ipsis dependet hominibus, alias enim hae mutationes hominis non moralitatem haberent, nec essent liberae; Deus quidem in materiale mutationum et actionum influit, neutiquam vero in formale. Concursus hic etiam ut conservatio est vel ordinarius et mediatus, vel immediatus et extraordinarius. §. 34. Valde igitur hic influxus et concursus diversus est, et non circa omnes reagentes unus idemque, quae diversitas rationem habet in diversa hominum indigentia et receptivitate.

- (1) Circumstantiae, in quibus homo est, hanc possunt adauktionem virium exigere, si e. g. tentationibus multis obnoxius est, quas si Deus permittit, etiam vires ipsi ad eas tolerandas subministrabit sufficientes.
- (2) Vires enim et facultates hominis ita arte cohaerent, ut emendatio unius non possit fieri sine emendatione aliarum. Vis hic non sumitur in sensu strictissimo sed significato latiori, et indicat tantum omnes hominis vires debere efferi ad maiores gradus.

§. XXXVI.

Respectu ipsarum etiam mutationum Deus non otiosus est sed ipsas procurat, sapientissimeque determinat, qui actus Dei nominatur gubernatio ipsius in regno gratiae. Haec igitur gubernatio est decretum Dei de ipsis reagentium mutationibus reduplicatiue consideratorum, quod decretum quoque tantum

24. 25.
26.
2

tum est hypotheticum §. 34. Quia omnes hominis mutationes liberae motiuis innituntur, etiam mutationes liberae, quae pertinent ad gratiam, ex motiuis fluere debent. Motiua vero desumuntur ex cognitione, qualis igitur haec, talia etiam sunt illa. Si igitur Deus hominum determinat mutationes gratiae, salutarem in ipsis operetur cognitionem necesse est, atque illam, si opus fuerit, amplificet, ut ex illa motiua manent salutaria, sufficientia ac completa. Huc quoque pertinet, ut tam Deus regenitos conuincat, si cognitio quaedam nondum legitima ratione est uiua, ut influat in voluntatem, quam commotiones in illis efficiat salutares, ex quibus oriuntur proposita et decreta. Hoc Deus ordinarie operatur per media ordinaria, per manifestationem veritatum quae pertinent ad ordinem salutis, per excitationes ut et renouatas repraesentationes illarum ac motiuorum efficacium; ac tunc dicitur gubernatio ordinaria. Si vero Deus extraordinariis utitur mediis in gubernatione et ordinem constitutum relinquit, gubernatio est extraordinaria seu miraculosa. Ad gubernationem ordinariam itaque quoque pertinet constitutio et dispositio legum mutationum in regno gratiae et praescriptio, quomodo sint obseruandae. Semper in gratiae applicatione Deus hominum respicit receptiuitatem atque indigentiam; ergo haec gubernatio maxime diuersa esse potest respectu diuersorum obiectorum, quae non eandem habent et indigentiam cooperationum diuinarum et mutationum gratiae.

§. XXXVII.

Gubernatio Dei in regno gratiae extraordinaria in eo consistit, ut Deus media consueta et ordinem proprie constitutum relinquat. Quemadmodum vero in regno naturae illae mutationes, quae fiunt cursum naturae atque ideo euentus sunt supernaturales, dicuntur miracula; ita quoque in regno gra-

tiae mutationes, quibus gubernatio Dei extraordinaria occupata est, erunt miracula; nam tum Deus ordinarias mutationum gratiae leges transgreditur et illas tollit, id quod etiam requiritur ad miraculum regni naturae; vt scilicet miraculum non fiat secundum leges mutationum naturae. Ex §. 18. patet semper gratiam in homine produci per miraculum; sed si exploramus, quamobrem dicatur miraculum, videmus, ideo tantum nominari miraculum, quia contra cursum naturae fit, atque ita modo esse miraculum regni naturae. Quia vero haec productio plerumque fit secundum ordinem constitutum et leges mutationum gratiae ordinarias; neutiquam est miraculum regni gratiae. Ex quo patescit, posse aliquam mutationem quidem in regno naturae vere dici et esse miraculum, quae tamen in regno gratiae non est miraculum, quia fit iuxta leges mutationum gratiae. Omnino vero sedulo cauendum, ne miracula regni gratiae plus iusto extendantur et amplificentur, nec non multiplicentur, nam vt circa miracula regni naturae haec obseruatur regula, vt tantum, quantum possibile, ex legibus mutationum ordinariis explicentur, ita etiam haec regula obseruari debet in inuestigatione miraculorum regni gratiae. Si igitur quaedam mutatio per circumstantias inconspicuas fit et inopinatas, mutatio haec potius dici debet inconspicua et extraordinaria, quam miraculum.

§. XXXVIII.

Sicut gubernatio diuina in regno naturae tam profunda est vt distincta et adaequata eius cognitio et exploratio plane sit nobis impossibilis, quia obiecta illius tam multa sunt et varia vt inuestigatio gubernationis circa illa minime possit esse completa; ita etiam peculiaris gubernatio Dei in regno gratiae adaequate repraesentari nequit, nam ambitus obiectorum, circa quae occupata est, fere idem est, ac gubernationis regni natu-

naturae; nam in gubernatione toto Deus utitur regno naturae ad incrementum regni gratiae, quod videbimus Spho subsequenti. Scriptura S. etiam hanc profunditatem docet, Rom. 11, 13. et in aliis locis. Apprime vero iuamur in sufficiente huius gubernationis disquisitione, tam obseruatione sedula et omnium nostrarum mutationum, quae pertinent ad gratiam et aliorum hominum regenitorum; quam sollicita perscrutatione gubernationis diuinæ in regno gratiae circa illos viros, quorum vitae curriculum nobis S. Scriptura exhibet.

§. XXXIX.

De regno naturae pauca adhuc monenda erunt: nam omnes reliquas complectitur mutationes, quae non pertinent ad regnum gratiae, seu est nexus omnium mutationum, quae non pertinent ad gratiam. Quia regnum gratiae est complementum regni naturae §. 31; Regnum gratiae et regnum naturae eundem debent habere finem, seu media sunt ad eundem finem. Per sapientiam vero, nunquam per gratiam fieri debet, quod adhuc fieri potest per naturam; nam ita gratia esset medium abundans nec optimum: ergo Deus regnum naturae adhibet ad incrementum regni gratiae. In primis vero miracula regni naturae directa sunt in hunc finem, scilicet ad prouehenda incrementa regni gratiae. Nam miracula regni naturae eduntur in eundem finem, quem habet regnum gratiae, sed non tam directe quam regnum gratiae, et quia ideo tantum media sunt ad regnum gratiae amplificandum, omnino dici potest, omne miraculum regni naturae regni gratiae causa fieri. Finis vero omnium miraculorum est promotio gloriae Dei,

*Cuius semper honos; nomen laudesque
manebunt.*

G

RESPON-

RESPONDENTI

AESTVMATISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

Quo maior est temporis otiique inopia, qua hos dies haud exiguam incommodo meo laboro, eo et breuiores a me habebis litteras, et significationis meae in TE voluntatis atque iudicii de TE TVAque disputatione pleniores. Consilium publice defendendi dissertationem dexteritatis documento futuram sponte TVA initum quam primum mihi aperuisti, facile probaui, atque non solum operam meam, quam nemini denego, prolixè lubenterque pollicitus sum, verum etiam argumenti optionem TVI arbitrii feci, atque cum TIBI ex indice doctrinarum opportune disputandarum a me edito sexagesimam octauam aridè intelligerem, auctor Tibi ac suasor fui, in eius disquisitione elaborandi, cui TE haud imparè fore speraui. Neque sefellisti sed superasti spem, quam de TE conceperam: eam enim mihi tradidisti dissertationem breuè admodum tempore conscriptam, quam, licet non ignorem quantopere et amplificari possit et expoliri: nibilo secius neque retractandam neque hic spicilegii et supplementi accessione locupletandam esse putauit. Ex compendii mei theologiae moralis part. I. Cap. IV ad VII, eiusque potissimum §. LXV, facile apparebit, in quibus vel eadem TECum sentiam vel aliter rationes subducere et calculos ponere soleam. Et unicum tamen a me hic non praeteriri TVA pariter ac aliorum magni omnino interesse videtur, eximie illustrari et confirmari posse argumentum, quod disputas, ex egregia PHIL. LAC. SPENERI epistola ad NIC. IACOBI, quam in commentariorum biblioth. hallensis vol. II. p. LXXXIII ad LXXXVI ex autographo edidi: ubi acutissimus scriptor de gra-
uissima

vissima hac doctrina, si quis vnquam, immortaliter meritis, difficultatibus scholasticis et acroamaticis sollicitè soluendis occupatur, atque obiectionibus contra quaedam incomparabilis libri sui de natura et gratia loca ita satisfacit, vt nihil admodum desiderari amplius possit. Sed redeundum est ad TE, quem si ex disciplina et hospitio sine publica testificatione bonae spei a TE factae dimittere vellem, in TE non magis alia omnia meritum, quam utilitatem publicam iniurius esse ipsemet mihi viderer. Vnum enim et sesquiannum TE auditorem habui assiduam attentaque auscultatione nemini secundum; biennium vero hospitem domesticum de rationibus vitae temporisque bene locati mihi approbandis adeo sollicitum, vt monitore non indigeres. Quibus rebus effecisti, vt plus itineris absolueres, quam alii vel duplicato temporis spatio emetiuntur. Praeter aliorum audiciones, scholis meis dogmaticis, hermeneuticis, exegeticis, antitheticis, theologiae moralis, litterariis et disputatoriis ita operam dedisti, vt partium TVARVM in proficiendo nihil reliqui feceris. Neque gratiam laudemque diligentia in litteris posita partem animi depravatione et morum corruptione decoxisti, sed laudabile virtutis studium et animum veri rectique cupidum prae TE tulisti, atque ea vitae academicae pericula feliciter effugisti, quibus bene multi nec indiligentes litterarum cultores bonae mentis fortunae et salutis iacturam faciunt. Age igitur, carissime PAGI, nihil remitte a virium contentione et salutarium doctrinarum studio et obsequio, gratiae diuinae naturaeque discrimina edoctus, vtriusque donis diuinitus et concessis et oblati ita utere in rem TVAM aliorumque, vt Dei potitus ab eo fruendo celebrandoque nunquam diuellaris. Sic TE iuuet indulgentissimum Dei numen, redditum TVVM in patriam fortunet, TIBIque amplissimam opportunitatem prospiciat sua in TE cumulata beneficia recte collocandi, atque salutare illorum fructus capiendi ferendique ipsi aeternitati profuturos. Dedi Halae ad Salam in acad. Fridericiana

d. XVII. Sept. MDCCLI.

G 2

PRAE.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

GEORG. FRID. MEIER.

Non dimittam *TE*, *HONORATISSIME PAGE*, ex scholis
meis philosophicis sine verbis honorificis, et sincera animi
mei *TUI* amantissimi significatione. Quam diu inter nos vi-
xisti, tam diu ante oculos meos versatus es, indefesso studio philoso-
phiae me comite atque duce operam nauans egregiam. Omnes earque
potiores, quae ad philosophiam referri solent, scientias didicisti, dum
me beneuole elegisti, quem in meditando sequereris, et profectus in
hac eruditionis parte factos apprime mihi adprobasti, dum saepius vel
respondendo vel opponendo in collegiis meis disputatoriis palam fecisti,
TE non historice tantum veritates philosophicas cognouisse. Abi igitur
in patriam, *AMICE AESTVMALISSIME*, scholas academicas
relinquens, studium vero plura discendi in dies et veritatibus gnauiter
cognitis vtendi ad easdem omni virtute exprimendas et illustran-
das non relicurus. Sic omnia euenient *TIBI* feliciter, et ecclesiae
patriaeque inseruiendo fies Deo adiuuante fortunae *TVAE* faber. Va-
le, Deo commendatus, meque *TE* semper amaturum amare
perge. Dedi in Fridericiana d. XVI. Sept.

M DCC LI.





PRAE

Index.


- 1) Laur. Stentzel de Theologia in genere.
- 2) _____ de Religione
- 3) _____ de Scriptura Sacra.
- 4) _____ de Deo.
- 5) Ad. Henr. Balthasar de Scriptura Sacra, & quidem de illius Definitione.
- 6) Karl Felmer (f. P. S. Baumgarten) de Efficacia s. Scripturae naturali & supernaturali.
- 7) Joch. Aug. Casper (f. P. G. Knappii) de Excerptis supra tanquam vera revelationis charactera.
- 8) Christ. Frid. Heijerorn (f. P. E. D. Stofcii) de Ecclesia Divinae Bibliorum Inspirationem testante.
- 9) Gottfr. Schütz (f. P. S. Baumgarten) de Infallibilitate Pontificum Romanorum до тогкохъкогито.
- 10) Benj. Gottl. Clemens de Criterio Religionis Christianae primario.
- 11) Joh. Christ. Klemm de Veritate Religionis Christ. ex Vaticiniorum implementis comprobata.
- 12) Car. Sam. Krausius de Deo Dei in Vaticiniorum Obscuritate.
- 13) Jo. Christ. Klemm Judaismus Christianismo sublatus. *
- 14) Jo. Christoph. Hoff Sylloge Quaestionum Theologicarum deus tributorum.
- 15) Christ. Wendt (f. P. S. Baumgarten) de Omnipotentia vera notione.
- 16) Nic. Nonnen Theologumena de Terra Motu.
- 17) Bernh. Frid. Luifforpi Disputatio: an & quod Deum originis Nationi pateat?
- 18) Christ. Nicol. Tharzi (f. P. G. Wernsdorff) de Reliquiis Imaginis Divinae.
- 19) Jo. Christ. Schwardt Meditationes ad locum de Christo. Specimen I.
- 20) _____ Specimen II.
- 21) Benj. Getwisch (f. P. S. Baumgarten) de Omnipotentia Christi in statu exinanitionis.
- 22) Christ. Sigism. Georgius Veritas Resurrectionis Dominica ab Impietatis criminationibus vindicata.
- 23) Ad. Henr. Lactmannus de eo unde lacuna testimoniorum atq; defectus in harmonia sanctorum & profanorum scriptorum, vita ac memoria Christi intervenientium?
- 24) Jo. Frid. Page (f. P. S. Baumgarten) de Natura & Gratia Regni.
- 25) Era. Frid. Penning (f. P. eodem) de Conversione non infantanea.
- 26) Car. Gottl. Hofmannus de Discrimine fidei Divinae & humanae.
- 27) Christ. Weijus de Fama & Scti. rerum sacrarum passim in Sacris memorata.











Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn86218603X/phys_0068

DFG

RERVM SACRARVM. XLIX DE FA...

lique cumulantibus, Ies. I, 11-15. XXIX, 13. Amos
 I. Matth. XV, 8. Marci VII, 6. Quotquot igitur
 ne vera mentis poenitentia, in medio vitiorum
 i, peccatorum remissionem a Deo; carnali gratiae
 opiosos tantum fallendosque conscientiae angos-
 tiffico, sibi expetunt, Ier. III, 4. Hof. VIII, 2. Qui
 neraria leuitate, in Scripturam inuolant; * aut de
 lei articulis, morumque emendationibus, ostenta-
 vel gloriolae captandae, vel iurgiorum prouocan-
 Phil. II, 15. acriter disceptant; illos a Simonis Magi
 impietate confido, Act. VIII, 18. sanctissima Flami-
 i, profana siti, appetentis. Quin et ipsum aeter-
 nis studium, vitio tum insigni admodum profano-
 si mercenario et feruili ingenio, ob fictas perpe-
 voluptates, si meritorum operumque confidentia,
 alutis ordine, exoptetur; Luc. III, 7. XIII, 24.
 XIX, 25. XXV, 44. Caueant igitur sibi, et sollicito
 spiciant, ipsi etiam RENATI, ne vel talia votis suis
 fumant, quae a Numinis voluntate, plane defle-
 uibus impuritatibus aliqua labes, cordium scrutatori
 la, subsit. Ipsum mortis pacatae desiderium, fidei
 lo, donorumque Spiritus S. augendorum fames, si-
 lacrarum omnis, excutienda iterum iterumque sunt
 tus superbiaeque spiritualis quicquam, execrabile
 rimen, ipsis forte non adeo aduertentibus, lateat. ***

§. XX.

V. 7. 2 Tim. II. 16. 23. Tit. III. 9. Ioh. IV. 29. Matth. XIX.
 36.

iatarum reuelationum vel immediati alloqui diuini pica pertinet,
 ri subiecisse examini non poenitebit, ELIAE, PAULIQUE, analy-
 i exoptantium, cupidinem I Reg. XIX. 4. 2 Cor. V. 8. Phil. I. 23.
 um videndi desiderium Ex. XXXIII. 18. 22. DAVIDIS de
 sendo consilium, ipsi prius Nathani probatum 2 Sam. VII. 2. 3.
 F
 Christum

